



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Aliter se gessit erga Africanos; quorum consuetudines illæsas esse concessit, modò fidei contrariæ non essent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

V. Secundi verò casus exemplum subministrat epistola XLV. libri secundi. Episcopus urbis Epidauriæ, quæ nunc Ragusa dicitur, absque synodi congregatione depositus fuerat ab Episcopo Salonitano Metropolitano provinciæ Dalmatiæ. Appellatus Gregorius decernit ut Metropolitanus synodum provinciæ congreget ad iudicandam accusationem secundum canones coram Antonio Subdiacono, cui Papa delegat executionem, ut ejus cura cuncta decernantur juxta leges & canones. In provincia quoque Corinthiaca, sive Achaia, iudicari iussit appellationem Anastasij Episcopi dejecti, misso in eam rem Secundino Episcopo, qui sententiam depositionis confirmavit.

Lib. 4. ep. 50.

VI. At licet Gregorius ad se traxisset supremum arbitrium iudicandi appellationes in urbe Roma, aut eas remittendi ad provincias, cum Africanis tamen aliter se gessit quàm cum reliquis provinciis. Constat enim eum morem gessisse Episcopis Ecclesiarum Numidiæ & Carthagini, qui eum oraverant ut privilegia & consuetudines illarum Ecclesiarum illas præstaret in quarum possessione erant jam à temporibus beati Petri. Quod eis concessit Pontifex, modò ne illæ fidei contrariæ essent. *Petitis enim, inquit Gregorius ad Episcopos Numidiæ scribens, per Hilarium Chartularium nostrum à beata memoria prædecessore nostro ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur quas à beati Petri Apostolorum principis ordinationum initiis hæcenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestre consuetudinem, qua tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permancere concedimus, sive de Primatibus constituendis, sive de ceteris capitulis.* Et ad Dominicum Episcopum Carthaginensem: *De privilegiis verò ecclesiasticis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.*

Vide lib. 3. c. 9. §. 2.

Lib. 1. ep. 75.

Vide Baluzij Notas ad Agobardum pag. 44. & 140.

VII. Africanorum autem postulata huc inter alia tendebant ut causæ eorum defini- rentur secundum antiquos canones Africanos & Sardicenses. Hi enim jam recepti erant ab Afris, ut constat ex collectione Ferrandi, quæ sexaginta ante Gregorium annis confecta fuerat. Privilegij autem vicem tum subibant, ob Novellam Iustiniani, quæ altius evehebat dignitatem Patriarcharum, atque adeo Romani Pontificis in Occidente. Ita porrò se cum Afris gessit Gregorius ut nullam eorum causam in urbe Roma iudicaret. Contrà, Columbum Episcopum Numidam delegavit, qui curaret ut singula gererentur secundum canones in synodo

provinciæ, etiam quoad causam Maximiani Episcopi, quem degradari posse ait, si nocens fuerit, *adunato Episcoporum universali Concilio.* quod & ipsum statuit de Petro & Paulino Episcopis.

Lib. 1. ep. 11. lib. 1. ep. 12. lib. 2. ep. 11.

VIII. Id unum, ad conservandam auctoritatem suam, contendit Gregorius, ut Clementius Primas provinciæ Byzacena Romam veniret, responsurus de quodam crimine ei objecto. Quoniam verò ejus imperium detrectabat Clementius, Gregorius rescriptum à Principe impetravit. Sic enim testatur ipsemet in epistola LXIV. libri septimi: *In quodam crimine * Byzacenus Primas fuerat accusatus; & piissimus Imperator cum juxta statuta canonica per nos voluit iudicari.* Sed quoniam Theodorus magister militum, id est, Gubernator Africae, acceptis decem auri libris, executione hujus rescripti imperatorij superfederi iusserat, aliud dein impetravit Gregorius. Postea Primas ille Pontifici significat velle se subijci apostolicæ sedi; adeoque illum permulsi, ut tandem obtinuerit causam suam iudicari in Concilio provinciali, juxta præceptum Pontificis.

* lib. 2. ep. 11.

Greg. 1. ep. 11.

IX. Sed dissimulare hoc loco non possum gravem hallucinationem Cardinalis Peronij aliorumque qui de controversiis religionis libros scripserunt. Confessionem enim illam Primatis Byzaceni, qui se Romanæ sedis subiectum fatetur, tribuunt Ioanni Episcopo Constantinopolitano, decepti videlicet affinitate nominis, quod in contextu epistolæ scriptum sit corruptè *Byzacenus.* quod ipsi corrigi volunt, ac reponi *Byzantinus;* cum tamen certum sit in usu nunquam fuisse ut Constantinopolitanus Episcopus diceretur Byzantinus. *Nam quod se dicit, inquit Gregorius, sedi apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cum verò culpa non exigat, omnes secundum rationem humanitatis æquales sunt.* Discrimen tamen magnum est inter utrumque. Nam secundum eorum opinionem Patriarcha CP. agnoscit subiectum se esse apostolicæ sedi quoad correctionem morum; cum Clementius Primas fuerat in Africa, quæ in patriarchatu Occidentis constituta erat. Et tamen ille obtinuit causam suam cum auctoritate Summi Pontificis iudicari in sua provincia, secundum Canones.

Greg. 1. ep. 11. epist. 17. Primas Episcoporum Concilii Byzantini.

X. Alium ordinem tenuit idem sanctus Pontifex quoad Hispaniam, ubi disciplina quiddam speciale invexerat in iudiciis Episcoporum. Ecclesiæ enim illius nationis utebantur canonibus à Martino Bracarensi collectis, itémque iis qui in synodis Hispanicis condebantur. Eam collectionem concinna-